Epistola iohannis tritemij abbatis spanhemen(sis) in chroni-
con eiusdem cenobij sui feliciter incipit.

Ad posteritatem epistola.

Iohannes tritemius abbas spanhemensis ordinis diui
patris benedicti. chare posteritati deum timere: et
a vite regularis tramite numquam recedere. Originem
fundationem et progressum huius monasterij nostri
spanhemen(sis) simul et successiones abbatum eiusdem
scribere sepius mecum statui: sed varijs mundi occup-
ationibus semper impeditus. desiderio satis facere meo hactenus
non potui. Opere namque mihi videbatur precium fore si ea producere
ad posteritatis noticiam que et multo tempore et magno labore diu-
ersis ex monimentis veterum. colligere potui: ne per obliuionem
a memoria mortalium penitus interirent. Fecerunt hoc ante
nos in diuersis cenobijs abbates et monachi plures: qui ad com-
munem vtilitatem presentium tunc et postea futurorum historias
monasteriorum suorum. institutiones quoque nomina et successio-
nes abbatum eorundem per ordinem temporis conscripserunt. Quorum
ego pronotatus exemplo quicquid inuenire de huius monasterio
spanhemensi vsquam potui: in vnum ordinare, seditem secundum
seriem annorum domini studiosa meditatione curaui. Enimvero
nec defuit laboribus diligentia: nec sollicitudo continua. nost-
ram inquisitionem vnquam deseruit. Per annos ferme quin-
decim certis quidem interuallis multum laboraui: priusquam
successiones abbatum et seriem in vnum potuerim ordinem
comportare. Negligentia etenim illorum qui nos in huius cenobio
spanhemensi ex tempore precesserunt mihi laborem duplicauit:
qui nihil aut parum literis commendarunt quod mihi ad intentio-
nem meam conduceret: et hoc ipsum quod literis commendatum ante-
perimus ab alijs carie et situ quasi penitus videbatur consumptum.
Feci tamen quod potui: et historiam non qualem omnino volui compor-
taui. Incipiens enim a prima fundatione huius monasterij narrati-
onem occurrentium historiarum per annos dominice natiuitatis
disposui: ad quorum consonantiam nomina abbatum et successi-
ones a primo vsque ad me qui sum quintus atque vicesimus per
ordinem collocaui. Integritatem veritatis quantum ego scire po-
ssum seruaui in omnibus: nec sciens quicquam ~~fla~~ falsitatis inge-

*Margin:* Causa suscepti operis.

*Margin:* Difficultas suscepti operis magna fuit.

*Margin:* Anno dominice natiuitatis exponit historie.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_964/0015

MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG